13

DISPUTATIO MEDICA,

INAUGURALIS,

DE

PERTUSSI.

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GULIELMI ROBERTSON, S.S. T.P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praefecti;

NEC NON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI conſenſu,

Et nobiliſſimae FACULTATIS MEDICÆ decreto,

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini ſubjicit

EDVARDUS FAIRTLOUGH,

HIBERNUS.

A. B. Trin. Coll. Dub.

Soc. Reg. Med. Edin. Sod.

Nec non

Soc. Chem. Sod. Extraord.

Ad diem 12. Septembris, hora locoque ſolitis.

EDINBURGI:

Apud BALFOUR et SMELLIE,

Academiae Typographos.

M,DCC,LXXXV.

Dr. Spooner.

with compts. from

his Humble Servant

Edwd Fairthorpe

DISPUTATIO INAUGURALIS,

DE

PERTUSSI.

CUM academiae hujus almae legibus ſancitum ſit, ne quis medicinae honoribus, niſi prius diligentiae ſuae documento in vulgus edito, potiatur, neceſſitate coactus, pauca de pertuſſi ſcribere decrevi. Hocce mali genus plurimorum ingenium merito nuper exercuit; quippe quod, inter varios morbos qui primum vitae ſtadium diſcruciant, atque in tantum adducunt diſcrimen, infantum in perniciem, primos fere ſibi vindicat.

MORBI DEFINITIO.

Morbus contagioſus, tuſſis convulſiva ſtrangulans, cum inſpiratione ſonora, iterata, ſaepe vomitus *.

A HISTORIA

* Cull. Synopſ. Noſ.

HISTORIA MORBI.

Pertuſſim infantes et pueri experiri ſolent; ſed non ſemper ab impetu ejus immunes evadunt adulti. Aggreditur plerumque morbus quaſi frigore male afficiebantur aegri. Nunc leniter tantum tuſſiunt infantes; adeſt etiam raucitas, capitis dolor vel gravitas, et oculorum rubeſcentia nonnulla. Hac ſub forma, per aliquot dies perſtat morbus; ſed plerumque intra duas vel tres ſeptimanas ſymptomata quibus dignoſcitur ſeſe exhibent. Tuſſiendi paroxyſmi tam vehementia, quam frequentia, ingraveſcunt, et tanta totius corporis concuſſione affligunt, ut reſpiratio ad ſuffocationis metum uſque inhibeatur. In contractiones tam citas muſculi reſpirationi inſervientes cientur, ut merito nomen, Tuſſis convulſiva morbo inditum ſit. Hiſce contractionibus praeter voluntatem factis, et ſaepius repetitis, aër larga copia pulmonibus expulſus, vi et velocitate inſolita per glottidem irruit, et ſonus peculiaris clangoſus exauditur.

Sonus

Sonus hicce Anglice, *A Hoop* vel *Kink* nominatur; et exinde, apud Anglos, *Hooping-cough* et *Kink-cough*. Inſpiratione ſonora finita, expirationes convulſivae renovantur, et, poſt alternationem bis vel ter repetitam, paroxyſmus plerumque finitur. Sub initio tuſſis plerumque ſicca, vel parcam muci tenuis copiam laborioſiſſimis conatibus elidit; progrediente morbo in humidam tranſit, tumque mucum craſſum, ſublividum, et ſaepe tenaciſſimum, ſecum ducit. Saepe etiam ventriculus afficitur, unde quod continet ejicitur. Rejectione muci vel vomitu ſummoventur paroxyſmi, et, in quibuſdam caſibus, ſyncope et convulſionibus terminantur. Sub paroxyſmo intumeſcunt venae, cor palpitat, celerius et fortius micant arteriae, caput dolet, et facies tota turget, et livido colore excandeſcit; vehementia tuſſis interdum tanta eſt, ut ruptis vaſis ſanguis emanet, uti ex naribus vel pulmonibus, nec deſunt exempla, quibus ex oculis vel auribus, profluxerit. Non raro ſingultus adeſt; quibuſdam etiam ſtercora et urina praeter voluntatem fluunt. Poſt intervalla admodum varia renovantur paroxyſmi, ſaepe interdiu, ſed ſaepius noctu ingruunt, et interdum, teſte Huxhamo, paroxyſmis regularibus

et

et periodicis, more febrium intermittentium, renovantur. Tussis adventum signa quaedam denunciant. Praecedit plerumque circa laryngem sensus quidam titillationis, interdum in thorace sensus constrictionis, aut etiam pectoris dolor. Tunc toto corpore multum agitari videntur infantes, manibus pedibusque tremuli calcitrant, et obvia quaecunque in auxilium veluti arripiunt. Pertussis interdum sese ostendit, ne ulla quidem pyrexia comitante; et febre stipatam se nunquam vidisse affirmat Sydenhamius. Plerumque vero symptomata superveniunt febrilia, interdum ab initio, sed in plerisque casibus quando per aliquot dies perstiterit morbus. Febris fere semper continua est, raro remissiones habet; sed, ut in aliis febribus continuis, vesperi exacerbatur; et interdum progrediente morbo hecticam forma refert. Dyspnoea saepe discruantur aegri, aliquando non nisi ingruente et desinente paroxysmo, per intermissiones sani; sunt tamen infantes quibus per totum morbi decursum adest difficilis respiratio. Forma jam memorata epidemice grassatur pertussis, et variat duratione. Interdum post paucas septimanas evanescit, plerumque vero in secundum aut tertium extrahitur mensem; nec desunt exempla

quibus

quibus annum vel amplius anno permanſerit. Ubi tempore hyemali quenquam aggreditur, perraro eum relinquet, antequam prima aeſtas advenerit; tunc, ut plurimum, calore aeſtivo morbo finem imponente, ſponte ceſſat. Morbus, variam poſt durationem, proxyſmorum et vehementia et frequentia remittentibus, ſaepe ſanitate mutatur; interdum tamen eventu eſt lethalis, atque, ingraveſcentibus febre et dyſpnoea, e medio tollitur aeger. Ex tuſſiendi vehementia quoque periculum exoritur; aliquando infantes praefocantur debiles, aut in apoplexias vel convulſiones conjiciuntur. Quidam hernias et ani prolapſum ſibi contrahunt. Ubi in longum extrahitur tempus, aliis morbis viam ſternit. Inter dira quibus viam ſternit, Aſthma, viſcerum abdominis obſtructiones, atrophia, rachitis, ſcrophula, phthiſis pulmonalis, memoriae ac ratiocinii jactura, membrorum paralyſis, enumerantur.

DIAGNOSIS.

Quando formam ſibi propriam nacta ſit pertuſſis, facillime ab aliis morbis ſecerni poteſt.

A quavis alia tuſſis ſpecie diſtinguitur expirationibus convulſivis iteratis, et potiſſimum inſpiratione ſonora peculiari, inſpirationes excipiente. Initio quidem morbi catarrhum communem ſymptomatibus omnino refert, et ab illo minime dignoſci poteſt.

Interdum, ſed raro, per totum morbi decurſum ſigna deſunt characteriſtica; hoc in caſu, ſi morbum tunc temporis epidemice graſſantem animo attente verſetur medicus, ne quidem larvatus illum latebit.

DE CAUSIS ET SEDE MORBI.

Tuſſim convulſivam ex communi cauſa, aëris nimirum vitio, ſuboriri multi volunt, praecipue ſi tempeſtas calida ſubito in frigidam commutetur. En verba Hoffmanni, ‘Quare epidemicae hujus ferme tuſſis, talem maxime aërem exiſtere cauſam animadvertimus, qui nebulis pernicialibus maleque olentibus, aut aliis particulis acribus ac ſaepius venenatis, febrium quoque exanthematicarum cauſis praegnans eſt.’

Ex

Ex aliquo ſtatu aëris, et corporis humani conditione peculiari concurrentibus, morbum primam originem duxiſſe vero ſimile videtur: Nunc autem contagioni ſpecificae ſemper ortum debet, ut obſervationes nuper factae abunde probant. Eodem modo ac contagiones exanthematicae ſemel tantum in decurſu vitae aliquem afficit; conſortium et contactus ſemper morbum vulgant; imo etiam ab aliis contagioni non obnoxiis pertuſſis propagatur; qualis autem ſit contagio, vel effectus quo modo in corpus humanum edat, nemo adhuc indagare potuit.

Quantum cauſas excitantes attinet; ex operatione ſola contagii, abſque cauſa evidente externa, paroxyſmi ſaepe iterantur. Pleriſque in caſibus tamen, tuſſiendi paroxyſmum variae occaſionales cauſae inducere queant, contagio praediſpoſitionem praebente. Haud impune fertur ventriculus cibo diſtentus, cibus etiam non modo quantitate nimia, ſed prava qualitate, potiſſimum ſi concoctionis difficilis ſit, nocere poteſt. Exercitatio valida, ad defatigationem uſque continuata, pulmonum irritationes ex vaporibus vel odoribus, potiſſimum vero mentis pathemata, paroxyſmum ſaepe inducunt.

De ſede morbi inter medicos agitur lis. Plurimi

in

in ventriculo ponunt, alii in pulmonibus, alii in larynge et pharynge, nonnulli denique in inteſtinis. Omnes fere argumentis et cadaverum ſectionibus ſententias ſuffulciunt, ita ut non immerito dixit Sauvageſius, ‘ Quaenam ſit ſedes principii proximi ignoratur.’ Lites quidem componere penes me non eſt; probabilior autem videtur cl. Home opinio: * Mihi videtur provenire a majore partium in catarrho communi affectarum irritatione, et majore totius corporis imprimiſque ventriculi laxitate et irritabilitate.

RATIO SYMPTOMATUM.

Tuſſis initio ſicca in humidam mox tranſit. Tuſſis frequentior reditus folliculis mucoſis neceſſario pro ſtimulo eſt, atque muci defluxionem inducit. Muci defluxio igitur ex tuſſi ipſa exoritur. Mucus vero, larga copia in folliculis congeſtus, pulmonibus irritationis cauſa eſſe poteſt, et paroxyſmum inducat; exinde aegri ſublevatio

* Principia med.

ſublevatio ex muco libere expulſo, ubi morbus aliquantum progreſſus ſit, facile erit explicatu. Inſpiratio ſonora. Sonus iſte peculiaris ſemper exauditus, quando poſt exſpirationes convulſivas aegri denuo inſpirare conantur, ex conſtrictione glottidis ſpaſmodica provenit, unde aër per anguſtiorem rimam irruens hujuſmodi ſonum edit. Æger quaſi ſuffocatur. Sub paroxyſmo, dilatatione pulmonum plena impedita, aër purus, vitae ſuſtentandae perquam neceſſarius, ſolita cum facilitate in pulmones haud accipitur, unde oriretur neceſſe eſt ſenſus ſuffocationis. Sub paroxyſmo intumeſcunt venae, &c. Eadem de cauſa, ſcil. pulmonum dilatatione impedita, pulmones ſanguinis maſſam tranſmittere nequeunt; ſanguine vero muſculorum actione valida, vi inſolita verſus cor propulſo, et corde ipſo, propter circuitum per pulmones impeditum, ſeſe evacuare minus valente, ad validiores contractiones ſtimuletur neceſſe eſt; unde celerius et fortius micant arteriae, atque vaſis minimis ruptis haemorrhagiae aliquando accidunt. Porro, ſanguis tanta copia circa cor accumulatus flumini ex capite redeunti impedimento erit; ideoque in vaſis capitis congeſtio eſt; unde intumeſcunt venae, facies turgeſcit, et aliquando

livida apparet. Symptomatum quae nonnullis tantum in casibus sese ostendunt, qualia sunt hernia, prolapsus ani, urinae et stercorum praeter voluntatem excretio, ratio in aperto est. Musculi nempe fortiter et convulsive agendo abdominis viscera comprimunt, unde haec proveniant. Adde, quod apoplexia, paralysis, ratiocinii jactura, exoriri possunt ex venis cerebri sanguine plenis, quae propterea ab arteriis sanguinem accipere nequeunt, unde vasorum distentio, vel ruptura.

PROGNOSIS.

In prognosi instituenda, aegri habitus et temperamenti, atque saevitiae symptomatum ratio est habenda. Pyrexia et dyspnoea praecipue periculum denunciant, raro nisi his urgentibus exitialis morbus. Infantibus infra duos annos constitutis gravior quo magis provecti sunt, levior plerumque evadit. Ex paroxysmorum vehementia, apoplexia, epilepsia, vel et suffocatio metuenda est. Expectoratio vel parca, vel

copiosa, difficili respiratione comitante, periculum denotat; haemoptysis superveniens, praecipue si largior subsecuturae phthiseos metum habet. Sanguis e naribus ejectus quosdam paroxysmo liberavit; si autem larga copia e naribus, vel oculis et auribus profluxerit, ex evacuatione nimia corporis debilitas et mobilitas augetur, et longius extrahitur morbus. Morbillis epidemice grassantibus periculosior plerumque fit, aut etiam inter dentitionem, denique valetudinariis, et haereditaria pulmonum labe affectis, funesta ut plurimum esse solet pertussis; si autem in intervallis febris et dyspnoea absint, somnus sit naturalis, cutis humida, et alvus laxa, serius ocyus sponte plerumque evanescit, et fere periculi expers est.

METHODUS MEDENDI.

Etsi epidemice grassetur pertussis, infantibus saepe exitialis, tamen de medendi methodo minime inter medicos convenit. De difficultate vero, vel morbum penitus profligandi ubi lenis,

vel

vel ſymptomata periculoſa levandi, ubi mali generis ſit, fere omnes conſentiunt. Quamdiu recens recepta contagio in corpus agat, malum progreſſurum iri minime medicinae parens, experientia docet; proceſſu vero morbi terrore aliquando, remediis ſaepe radicitus ſuperatur; exinde malum non ex contagii operatione, ſed, ut in aliis morbis ſpaſmodicis, vi conſuetudinis perſtare ſuſpicatur cel. Cullenus. Porro, contagium, corpus debilitando, hujus morbi ſpaſmodici reditui favere concludere licet. Ex ſupra dictis patet, conſilia medendi diverſa pro morbi ſtadio oriri. Initio, quamdiu contagium vigere arbitremur, quoniam tunc temporis penes nos non eſt malum penitus profligare, conſilium eſt,

Symptomata praeſentia levare et pejora praecavere.

Deinde, poſtquam contagio agere ceſſat, atque a vi conſuetudinis, et debilitate et mobilitate ſolis, mali productionem pendere arbitratur.

Uſu remediorum morbum radicitus curare.

Priori indicationi accommodantur evacuantia diverſa. Sanguinis detractio. De hujus remedii uſu multum inter ſe diſcrepant auctores. Repetita venaeſectione et catharſi morbum ſemper

per penitus profligatum fuiſſe, Sydenhamius affirmat. Alii etiam ſuadent, ſed ab uſu ejus, niſi initio morbi, ſupervenientibus inflammationis ſignis abſtinent. Millar vero omnino damnat: Si vero conſideretur, circuitum per pulmones ſaepe, initio morbi potiſſimum, difficillime perfici, et ex inflammatione et obſtructione multum diſcriminis imminere, venaeſectionem tunc profuturam nemo, ut credo, negabit. Ubi plethorae ſigna adſunt, ſi febris nempe pulſu duro et frequenti urgeat, ſi reſpiratio plurimum impedita fuerit, ſi facies turgida oculique ſanguine ſuffuſi appareant, vena ſtatim ſecanda, ne inflammatio vel haemorrhagia pulmonum ſuperveniant. Semper autem ad aegri habitum atque morbi vim et ſtadium reſpiciendum; nam ſuos limites habet ſanguinis miſſio; neque ſanguis niſi urgentibus ſymptomatibus mittendus, et raro plus ſimplici vice. Infantes, quos plerumque adoritur morbus, evacuationes largas vix ſuſtinent; in morbis ſpaſmodicis non ſaepe proſunt evacuantia; et praeterea ſaepius repetita venaeſectio vires convellit, corporis irritabilitatem adauget, et tantum abeſt ut morbum levet, ut illum graviorem reddat, et curatu difficiliorem. Cathartica. Alvus laxa leniorem tuſ-

ſim,

ſim, ſtricta graviorem reddit; medicum igitur decet viam ſequi quam natura commonſtraverit, et alvum leniter fluentem ſervare. Alia de cauſa praeterea neceſſarium videtur, quod infantes quicquid e pulmonibus aſcenderit id raro exſpuunt, ſed deglutiendo in ventriculum demittunt, et quoniam ſic diatheſi phlogiſticae occurritur; probe vero memoria tenendum, purgantia draſtica ſemper nociva eſſe, quippe quae nimis evacuando debilitatem inducunt, et mobilitatem adaugent. Ad purgantia mitiora ſola decurrendum, ut alvi aſtrictionem amoveamus, qua ſemper morbus gravior redditur. Emetica. Omnes ferme auctores qui de pertuſſi tractaverunt, hoc remediorum genus multis laudibus cumulant. Ventriculus ſaepe diſtenditur et opprimitur, imo vomitu ſponte orto ſublevantur paroxyſmi; medici igitur naturae veſtigiis inſiſtunt, et emetica maximo cum fructu adhibere ſolent. Pulmones praeterea et bronchiorum folliculi mucoſi, muco viſcido et tenaci gravantur; et procul dubio hujus viſcidae materiae evacuationi, nihil quam frequens emeticorum uſus accommodatius; atque revera, ſi de remediis expectorantibus dicere fas ſit, primum obtinent

obtinent locum emetica. Porro, utilitatem alia de cauſa ex eorum uſu oriri conceditur; nam, fluida ad corporis ſuperficiem propellendo, ſanguinem ne partibus internis copioſius affluat, prohibent. Plena igitur doſi, ſecundum aegri vires, Ipecacoanha interdum ſit danda, ut vomitum excitemus. In intervallis autem tartarum antimoniale, conciſa doſi, ita ut nauſea utcunque levis moveatur, adhiberi debet. Hoc modo datum inſigniter commendat Hoffmannus *. ' Et certe conciſa doſi tartarus emeticus ſolutus in mixtura commoda ejuſmodi in caſibus ſi detur, longe optimum et deſideratiſſimum praeſtat effectum.' Admiſtionem ejus cum pulvere abſorbenti, Fothergill, optime in praxi verſatus, ſuadet. Sic praeſcriptum facile devorant infantes, et inſigni cum beneficio. Symptomata febrilia leviora reddit, perſpirationem liberam plerumque movet, atque alvum modice laxatam ſervat, et diaphoretici et purgantis remedii vice fungens.

Epiſpaſtica. Saepiſſime in pertuſſi inſolita ſanguinis copia pulmones gravantur, atque obſtructionis vel inflammationis periculum inſtat. Ejuſmodi

* Hoffman, vol. 3. p. 121.

juſmodi in caſibus, urgente reſpiratione difficili, proſperrimo cum eventu uſurpari ſolent epiſpaſtica. Pari fere ratione prodeſſe videntur fonticuli et ſetacea; ſed nunquam effectum aeque certum ac veſicatoria praebent. Notatu dignum videtur, veſicatorium thoraci et partibus vicinis utilius fore quam aliis applicatum. Praeter evacuationes ſupra memoratas, ut leviora evadant ſymptomata, et alia remedia a medicis uſurpari ſolent, quae pectoralia audiunt. Quotieſcunque ex acri materia in corporis humores diffuſa exoritur tuſſis, quae quidem olim opinio fuit, prodeſſe credebantur demulcentia, tum acrimoniam in humoribus obvolvendo, tum fauces ex acri quodam defendendo. Multum vero abeſt, ut tantum iis tribuatur, quantum olim; non liquet de tali acrimonia. Porro, decocta hujuſce generis ventriculum diſtendunt et gravant, ciborum appetentiam hebetant, atque ſitim accendunt, ideoque ut plurimum nocent. Alia ſunt quae mucum viſcidum et tenacem attenuare, atque copioſius excretum dare, dicuntur. Hoc conſilio, ut credo, tinctura cantharidum interdum uſurpatur, et a Burton et Lettſom multum commendatur. Aliquibus in caſibus hoc remedium utile fuiſſe minime dubitandum;

ſed

ſed quoniam vehementer ſtimulet, et in teneris infantibus maxime huic morbo obnoxiis vix adhiberi poſſit, prorſus omittendum cenſeo.

Quandocunque eouſque perventum ſit, et contagio, ſicut putatur, in corpus agere deſtiterit, ſed morbus vi conſuetudinis perſtat, tunc ſecunda exoritur indicatio.

Morbo progredienti curſum impedire, et penitus profligare.

Ad hoc conſilium aſſequendum, remediis parum valentibus, ut metu et terrore, afficiantur aegri, aliqui ſuadent auctores. Williſii verba haec ſunt. " Alterum pro tuſſi puerorum convulſiva remedium eſſe ſolet, ut ſubito quodam timore adficiantur. Hinc cum medicamenta minus efficiunt, apud vulgus in praxi familiari eſt, ut pro terriculamento, aſpectu horribili circumagitur, affectus, grani ſive frumenti receptaculo imponatur; indeque morbi hujus ſubita curatio nonnunquam contigit." Multa habet incommoda hujus remedii uſus, levior, parum vel nihil prodeſt, vehementior magnopere noceat; ideoque inſuper habere oportet; praecipue vero reſpiciendum eſt, ut corporis debilitatem et mobilitatem imminuamus. Huic indicationi accommodantur remedia antiſpaſmodica et tonica.

Antiſpaſmodica.—Antiſpaſmodica varia hoc in malo medicis uſurpari ſolent. *Caſtoreum* ſummis laudibus tollit Morris *, atque effectum deſideratum nunquam non edere dicit. Dolendum vero, alios ab uſu ejus raro eoſdem percepiſſe fructus. Saepe exhibitum nunquam contra pertuſſim efficax invenit celeb. Cullen.

Moſchus. Hujus medicamenti vires in ſpaſmis ſublevandis, permultum laudantur. In pertuſſi etiam cum ſucceſſu optato interdum uſurpavit cl. Home. Ab aliis vero parum illo tribuitur, atque quodammodo negligitur, ſcil. qui purus raro inveniri poſſit.

Aſſa foetida.—Hocce medicamentum commendat ingenioſus Millar †. Verum effectus ejus incerti, atque ſecundum aegri habitum et temperamentum diverſi; praeterea, ad efficaciam ejus in pertuſſi confirmandam, aliorum experimenta deſunt.

Opium.—Inter remedia antiſpaſmodica primas tenet, atque nullum praeſtantius datur. Initio morbi tamen, urgente plethora, ab uſu ejus abſtinendum. Ubi tamen aliquantum progreſſus

* Lond. Med. Obſ.

† Obſerv. on the hooping-cough.

progreſſus ſit, febris vel diatheſeos phlogiſticae ſuſpicione ſublata, maximo cum fructu uſurpatur opium. Tuſſiendi paroxyſmum leviorem reddit, atque, ſomnum conciliando, vires aegri reficit.

Reſtat aliud medicamentum, cicuta, antiſpaſmodicum, ut mihi videtur; Butter, qui nuper obſervationes de pertuſſi publici juris fecit, alia remedia inſuper habere, et ad cicutam ſemper confugere ſuadet. Sed, ut ex aegrorum hiſtoriis a ſeipſo traditis patet, effectus nocivos interdum edit cicuta; praeterea aliorum ſpes ſaepe fefellit; ideo curam haud levem et prudentiam adminiſtratio ejus deſiderat; neque remedium anceps, et aliquando nocivum, niſi gravibus de cauſis, medicum praeſcribere decet.

De tonicis nunc dicendum. Inter medicamenta tonica muſcus pyxidatus, viſcus quercinus, olim quaſi vi ſpecifica inditi, laudati, recenſeri debent. Nunc dierum tamen negliguntur, et merito; vim tonicam levem tantum et fugacem poſſident, et quodcunque ab uſu eorum exſpectari poſſit, id et plus inſuper a cortice Peruviano habemus. Huic medicamento in ſecundo morbi ſtadio praecipue fidendum. Caeteris remediis tonicis e regno vegetabili depromptis,

longe

longe antecedit cortex larga copia aſſumptus. Ineunte morbo tamen ab uſu ejus abſtinendum; viribus contagionis vix reſiſtere poteſt; praeterea ſymptomata inflammatoria et diatheſis phlogiſtica pertuſſim hoc in ſtadio plerumque comitantur, atque cortex effectus edat nocivos. Contra haec ſymptomata graviora, evacuationes ſupra memoratas inſtituendo contendere debemus. Poſt evacuationes debitas vero, recedentibus febre et difficili reſpiratione, morbum decurrentem ſiſtere, vix unquam deficit.

Lavatio frigida. Vix ullum remedium ad debilitatem et mobilitatem corrigendam aptius inventum. Quibuſdam in caſibus, teſte Huxhamo, medicamentis incaſſum tentatis, effectum deſideratum praeſtitit balneum. Inconſulte tamen minime adhibendum. Plethora urgente, plurimum noceat. Quotieſcunque vero, abſque febre vel ſymptomatis inflammatoriis in longum protrahitur morbus, multa cum utilitate uſurpari poteſt.

Per idem tempus adjumenta alia minime negligenda. Aër ſit purus, ut in rure nec vaporibus onuſtus. Ad exercitationem modicam, nunquam ad fatigationem uſque protractam, ſaepe confugiendum. Haec corpus roborando et grate excitando, atque perſpirationem movendo, multum medelae conducunt.

Ut

Ut inceptum exequar, ſolummodo reſtat ut de diaeta et regimine, quae aegris conveniant, pauca dicam. Ineunte morbo, ne febris vel pulmonum affectio inflammatoria ſuperveniant, diaeta tenuis, et regimen antiphlogiſticum conveniunt. A cibo animali ſolido, quippe qui febrim accendat, ſitimque adaugeat, caute abſtinendum. Progreſſu autem, poſtquam febris vis ſuperatur, diaeta lautior et plenior deſideratur. Sit cibus levis, ſed nutriens, et concoctu facilis, ex animantibus et vegetabilibus rite admiſtis confectus. Parcam quantitatem uno tempore, ſed ſaepius devoret aeger; nam ſi quando copioſius famem expleat, fermentationem cito ſubeunt alimenta, parum nutrimenti praebent, atque ventriculo ſunt oneri.

Ubi morbus pene diſceſſerit, ſi debilis et imbecillis ſit infans, una cum aëre puro et exercitatione, lac aſininum, juſcula nutrientia, et alia leniora corroborantia, ad priſtinum vigorem reſtaurandum haud parum conducunt.

FINIS.